



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

XI. Quòd pietas divina veraciter conversis & de præteritis peccatis  
pœniteudinem agentibus perfectam veniam tribuat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

Ezeli. 7.

scriptum est: *Non te justifices ante Dominum, quoniam agnitor cordis ipse est, & penes Regem noli velle videri sapiens. Hinc & Dominus arrogantes & duros corde per Hieremiam increpat, dicens: Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad querendam dilectionem, & dixisti, Absque peccato & innocens ego sum, & propterea aueratur furor tuus à me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eò quòd dixeris, Non peccavi, quia vilis es facta nimis iterans vias tuas. Obtrivit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum.*

Hier. 1.

*Quòd pietas divina veraciter conversis & de præteritis peccatis pœnitentiam agentibus perfectam veniam tribuat.*

## CAPUT XI.

Ezech. 18.

**O**VAM misericors autem sit Dominus super eos qui veraciter se per confessionem & pœnitentiam convertunt ad eum, & sperant in misericordia ejus, declarat ipse, per Ezechielem Prophetam dicens: *Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis que operatus est, & custodierit universa præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor. In iustitia sua quam operatus est vivet. Numquid voluntas mea est mors impij, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat? Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proicite à vobis omnes prevaricationes, & facite vobis cor novum & spiritum novum. Et quare moriamini domus Israël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus. Revertimini, & vivite. Et alibi: Impietas impij non nocet ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua; & iustus non poterit vivere in iustitia sua, in quacunque die peccaverit. Etiam si dixerò iusto quòd vita vivat, & confusus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Sin autem dixerò impio, Morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam, restitueritque ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vita ambulaverit, nec fecerit quicquam in iustum, vita vivet, & non morietur. Omnia peccata ejus que peccavit non imputabuntur ei. Iudicium & iustitiam fecit, vita vivet. Ideo Novatiani hæretici frustra januam pietatis supernæ ocludere pœnitentibus nituntur, divinæ misericordiæ sinum ignorantes, cum non solum prophetica lectio, sed etiam evangelij majestas id ipsum astruat, quòd quicunque*

Ezech. 18.

pro commissis peccatis dignè pœnitentiam gerunt, veniam apud clementissimum iudicem peccatorum suorum promerentur. Unde non solum præcursoris Domini vox baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum primùm prædicando intonuit, sed etiam ipsa Veritas primordium prædicationis suæ, ut Matthæus testatur, de pœnitentiæ agenda inchoavit, dicens: *Pœnitentiam agite, adpropinquavit enim regnum celorum.* Et alibi: *Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis; & ego reficiam vos.* Veraciter enim pœnitentibus adpropinquat regnum celorum, quia delentur peccata, & adpropinquat iustitia sempiterna; omnesque qui ad Salvatorem nostrum pia intentione veniunt, de peccatorum onere relevati, æternæ refecionis pabulum in cœlestis regni beatitudine percipient.

*Exhortatio ad indulgentiam delinquentium.*

## CAPUT XII.

**H**Æc tu, sacratissime Imperator, & his familia relegens, spernendo iudicia falsa, scias te per fidem rectam & bona facta aditum regni cœlestis promereri posse. Nec te deterreat nocentium improba vanitas, sed magis confortet evangelica veritas; credens in omnibus Regi & iudici tuo, qui tibi in terra regnum dedit, & in futura vita bene facienti regnum promisit. Et ideo si quid te in hoc scammate belli & valle lacrymarum atque laborum plenissimo perversorum machinatione nocuit, non illud magni pendas; sed ereptori & defensori tuo Domino Christo in omnibus gratias agas, qui mortificat & vivificat, flagellat omnem filium quem vult, & castigat omnem filium quem recipit. Meminerisque illud divinæ legis, quo scriptum est: *Ne queras ultionem, nec memineris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego Dominus. Leges meas custodite. Dicatque tibi simul cum David Rege illa mulier sapiens, in Regum, que compefcuit ipsum David à cæde Nabad stultissimi, ita dicens: Aufer iniquitatem fimbule tue. Faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidem, quia pralia Domini, Domine mi, tu preliaris. Malitia ergo non inveniat in te omnibus diebus vite tue. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & querens animam tuam, erit anima domini mei custodia quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum. Porro anima inimicorum tuorum rotabitur quasi impetu & circulo fundæ. Cum ergo fecerit tibi Dominus domino meo omnia que locutus est bona de te, & constituerit te ducem super*